

arma viri ferte arma; vocat lux ultima victos.
reddite me Danais, sinite instaurata revisam
proelia. numquam omnes hodie moriemur inulti.' 670

Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram
insertabam aptans meque extra tecta ferēbam.
ecce autem complexa pedes in limine coniunx
haerebat parvomque patri tendebat lulum:
'si periturus abis, et nos rape in omnia tecum; 675
sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
hanc primum tutare domum. cui parvos lulus,
cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?'

Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,
cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum. 680
namque manus inter maestorumque ora parentum
ecce levis summo de vertice visus Iuli
fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis
lambere flamma comas et circum tempora pasci.
nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem 685
excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.
at pater Anchises oculos ad sidera laetus
extulit et caelo palmas cum voce tetendit:
'Iuppiter omnipotens precibus si flecteris ullis,
adspice nos — hoc tantum — et si pietate meremur, 690
da deinde auxilium pater atque haec omina tirma.'

Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
intonuit laevom, et de caelo lapsa per umbras
stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
illam summa super labentem culmina tecti 695
cernimus Idaea claram se condere silva
signantemque vias; tum longo limite sulcus
dat lucem, et late circum loca sulphure fumant.
hic vero victus genitor se tollit ad auras,
adfaturque deos et sanctum sidus adorat: 700
'iam iam nulla mora est; sequor et qua ducitis adsum.
di patrii servate domum, servate nepotem.
vestrum hoc augurium vestroque in numine Troia est.
cedo equidem nec nate tibi comes ire recuso.'